

erepundia, balistas, equellos, ensiculos, etc. ut ad sui amorem et obsequium eos alliciat) uti flores, fructus suavissimos, eosque aspectu perju-cundos ac ridentes, flavos, cæruleos, candidos, rubros, virides, uti in primis arborum fruges. Rursus inclusit eos pelliculis corticibus, ut mundi et illæsi, ac diu conservari possint. Fecit ut ipsi eos nobis plantare et parare possemus; ut pisces, aves, feras nostra delectatione capere: fecit ut aviculæ labores et fastidium nostrum suo cantu permulcerent. Terram gramine, ut molliter in ea ambulare, et mundo recubare possemus, instravit, necnon ut fructus in eam decedentes mundi et integri servarentur. Viridi eam colore uti et arbores, foliis vestiit, quia is color gratior et sanior est oculis.

Tertio, ipsis etiam creaturis, quas servire nobis compulit, suum jucundum esse dedit, ut sua jucunditate lusibus et industriis nos recreent. Nam et pisces in aquis saltus edunt ac ludunt, et capreoli in pratis subsiliunt, et aviculæ cantant, et flores suum decorem expandunt, et arbores suos flores, et prata rident, omniaque exhilarantur. Sympathias quoque inter animalia et antipathias posuit, ad nostram delectationem, venerationem, etc.

Quarto, hæc omnia in tanta copia homini largitur, etiam non rogatus; dat malis æque ac bonis quibus omnia subiecit et servire fecit: dat iis quos scit fore sibi ingratos, et damnandos: dat Turcis, gentilibus, Judæis, a quibus blasphematur et offenditur. Quis hæc non miretur? Quis non omnibus laudibus extollat tantum beneficium? Quis non amet sic amantem? Venerunt aliquando Agareni quidam barbarum plane et improbum hominum genus, ad Sanctum Sabbam abbatem in solitudinem, et fame siti que confecti cibos scrutabantur; cumque nil invenirent, Sabbas, dum illi convicia jactant et minas intentant, extensa mox ovilla pelle melagriorum radicibus et arundinum corticibus, eos pavit. Mirati barbari liberalem ejus animum, famem tunc sedarunt: postea redeunt; caseos et dactylos in grati animi significationem ei attulerunt. Quo viso, Sabbas suspirans: «Heu mihi! inquit. Barbari et efferati homines, tam exigui beneficii memores, gratiam rependunt; et nos quotidie creatoris bonis fruimur, et sensu plane stupidi nullam ei grati animi significationem exhibemus.» In ejus vita Cyrillus monachus, 5. decemb. apud Lipel. Certe hinc apparet non solum eas gentes esse barbaras, quæ sub æquinoctiali nudæ incedunt, sed quam plurimos etiam, qui in serico et auro fulgent, qui quotidie bibunt et epulantur splendide, nec tamen unde vivant, agnoscunt. Si quis

enim ingenuus vir in itinere constitutus in domum alicujus coloni divertisset, essetque ab e vultu hilari et apparatu sufficienti pro facultate hospitis acceptus, postea discedens gratias rustico non ageret, sed insalutato eo abiret, quid de illo sentiremus? Nonne barbarum et inhumanum diceremus? Vide ergo quid sentiendum sit de illis, qui ad locupletem mensam assident quotidie, nec tamen agunt gratias illi, a quo eam acceperunt.

Et mirum valde est, quod pauperes qui duro pane et parcissima mensa vivunt, passim ubique visuntur Deo gratias agere: qui vero ex auro et argento bibunt, et lautissime vivunt, sæpe nec orant, nec gratias agunt. At dices: Unde sciam hæc a Deo mihi subministrari? Itane tamen stupidus es, ut de hoc dubitare possis? Quæso enim te, dicas mihi: Si quis peregrinus veniret in has terras, et in via forte aberrans fame urgeretur, jamque tempore prandii reperiret in campo aut silva mensam stratam, instructamque variis cibis, piscibus, avibus, ferinis carnibus, omnis generis frugibus, variis quoque ac selectis vinis: idemque rursus vespere, et sic sequentibus diebus; quid dicturum arbitraris? Num dicturum putas, hæc omnia a formicis vel volucris congesta et sibi præparata esse? An potius ab amico aliquo suo solertissimo, intelligentissimo, ditissimo, amantissimo? Ac licet illum nunquam cerneret, nonne tamen vel ignotum coleret ac diligere? Hic autem quis nisi Deus, qui hæc omnia nobis parat, et quotidie quidem? Quis enim aliud hoc posset et vellet? Verum opponent isti hanc ipsam Dei liberalitatem et bonitatem esse causam cur, homines terrenis earumque copia et dulcedine capiantur et illaqueentur, adeoque iis abutantur. Sed respondeo primo, nos ex hac Dei erga nos benevolentia, non ad abusum beneficiorum, sed ad amorem benefactoris, ut quis nos tam liberaliter velut dilectos filios, velut nobiles, non ut servos in aula sua tractet, excitari debere. Ingratus cuculus est, qui nutricem devorat, a qua tam laute enutritus est. Degener est filius, qui patris mensam magis quam ipsum patrem amat. Muscarum hoc est et murium, qui de pane et cibis nostris vivunt, non tamen amant nos, nec fidunt nobis. Deinde, cogitandus est etiam gladius, qui mensæ nostræ imminet: varia scilicet flagella, quibus victum nobis adimere et fruges omnes perdere Deus potest, si abusi illis fuerimus ad injuriam creatoris. Habet enim et armarium suum, unde subinde depromit gelu, pruina, grandinem, locustas, erucas, bruchos, rubiginem, siccitatem, imbres continuos, vastationes, etc. Et in fine mundi: *Armabit Deus creaturam ad ultionem inimicorum*, Sap. V.

Postquam ergo vidimus cælestis nostri patris familias majestatem, divitias, liberalitatem, pulchritudinem; videamus nunc et hoc, quantum obligati simus tanto benefactori, quamque impudenter agant, qui in illum peccant: *Erubescite, Sidon, ait mare*, quod dat nobis pisces: *Erubescite, ait aer*, qui dat nobis aves: *Erubescite, ait terra*, quæ dat fruges et animalia: *Erubescite coram Deo*, qui ex illis promptuariis subministrat nobis omnia, Isa. XXIII.

CONCIO III.

A FLORIBUS ARBORUM DOCUMENTA.

I. Ostendit miseriam conditionis humanæ. II. — Monstrant rationem vivendi christianæ. — III. Monstrant exemplar perfecti Christiani. — IV. Monstrant prægustum cælestis beatitudinis.

THEMA.

Quomodo possumus viam scire? Joan. XIV.

Non solum Antonio, sancto illi monachorum patriarchæ, mundus iste totus liber quidam fuit, e quo sapientiam discebat; verum etiam Mercurio Trismegisto, gentilium quasi Moysi, qui dixit: *Universum est liber divinitatis*. Nec male certe; ex eo enim discimus non solum creatorem nostrum ejusque potentiam, sapientiam, bonitatem, providentiam et magnitudinem: verum etiam ea, quæ ad bene beateque vivendum spectant. Estque liber hic communis omnibus rudibus et illitteratis, quia intellectu facilis. Hujus tabulæ seu involucrum sunt cæli; paginæ, elementa; lineæ, regiones; litteræ, creaturæ. Lector libri est homo: ideo capite erecto formatus, ut librum hunc evolvere et perustrare possit. Porro liber hic per hiemem quasi clausus aspicitur, quia clausæ in antris feræ, pecora in stabulis, pisces in aquis glacie obductis, aves in densis nemoribus, homines in ædibus, flores et herbæ in nivibus. Mensis aprilis aperit librum istum, ideo ab aperiendo dictus, et nunc mense maio monstrat nobis in primis arborum flores et in his egregia documenta, quæ nunc audiemus.

I. Flores illi ostendunt nobis miseriam conditionis humanæ nunc quidem florentis, mox tamen decedentis et in terram, unde prodiit, redeuntis.

Nam primo, flores arborum quidem, de quibus loquimur, brevi temporis spatio durant, septem scilicet diebus, teste Plinio, lib. XVI. cap. XXV. post elanguent ac decidunt. Hinc *flores a fluendo dicti*, quia cito defluunt, secundum Isidorum. Sic etiam hominum vita, septem ætatibus circums-

cripta, brevis admodum est, respectu illius ævi, quod erat ante diluvium, quando ad 900. annos homines vivebant; quamquam et illa brevis, imo nihil erat, respectu ævi angelorum. Hanc vitæ brevitatem describens Job, cap. XIV. ait: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, reptetur multis miseris: qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet*. Egreditur flos ex arbore, initio speciosus; sed mox contabescit, et foliolum unum post alterum amittit: sæpe vix natus a pruina exurit, vel a vento abripitur. Sic homo brevi vivit tempore, quia inadvertenter et velocissime labitur ejus vita; cum putat se ordiri, tendit ad finem: cum aliquid lucri fecerit, unde vivere in quiete et dulcedine posset, tunc migrare cogitur; cum se ad somnum componit, evigilare debet; cum vix mundum circumspicere, et scientias aliquas aut opes comparare sibi cœpit, canitie subrepente jubetur ad emigrandum sarcinas colligere; et tunc demum miratur dierum suorum brevitatem. Ergo *quasi flos egreditur*, ut se ad breve tempus spectandum oculis præbeat, et mundum hunc aspiciat. Speciosus quidem est initio, sed paulatim consenescit, et dentem post dentem amittit: sæpius ante senectam et in prima ætate abripitur, sicque iterum discedit, sicut comicus e theatro. Deinde, quasi flos ex arbore in terram delapsus *conteritur* pedibus transeuntium, nec a quopiam respicitur. Nos ipsi hic in templo nonne corpora mortuorum majorum nostrum calcamus? Et quis eorum jam meminit? Steterunt illi olim hic, sicut et nos stamus, fortes ac florentes: nunc in terra jaacent, sicut et nos facebimus. Denique *fugit velut umbra*, quæ semper in motu est, quemadmodum et sol. *Fugit* etiam, quia ubivis creaturæ mortem ei intentant, aer infectionem, aqua submersionem, ignis combustionem, terra sepulcrum, bestię quam plurimæ devorationem, canes allatrant transeuntes, ipsi anseres exsibilant, muscæ vexant, apes pellunt, vespæ pungunt.

Secundo, cadunt ex arboribus suapte fragilitate, tametsi nec a vento abripiantur, nec pruina comburantur, nec manu decerpantur; quia nimirum ex fragili ligno fragiliorem traxerunt naturam. Sic etiam homo suapte natura et infirmitate ex matris utero tracta, tandem cadit, licet nulla creatura eum impellat.

Tertio, plerique flores arborum inanes et cassi sunt, nihil fructus adferentes, pauci fecundi sunt. Sic hominum magna pars moritur in infanzia et pueritia, major in ætate media, paucissimi ad senium perveniunt. Tot nimirum undique mortis laquei et pericula sunt. Magnum Dei be-

neficiū est pervenire ad maturam ætatem, quæ plenius Deo servire, et merita comparare possumus. Majus adhuc attingere canam et decrepitam. Ob peccata namque sæpius ætas præciditur. Quamquam non magnopere refert, utrum brevi aut multo tempore quis vivat, modo bene vivat. Illa tamen humani generis maxima omnium miseria est, quod plerique homines steriles sunt operibus bonis, ideoque pereunt, juxta id : *Multi vocati, pauci vero electi* : quemadmodum et florum maxima pars cadit.

Quarto, flores in ortu solis se aperiunt, in casu se claudunt et constringunt. Pari modo homines in fortuna prospera se dilatant, jactant, effundunt, inolescunt : at si sol prosperitatis occidat, noxque adversitatis inchoet, clauduntur, perturbantur, lamentantur et desperare incipiunt.

II. Monstrant nobis rationem vivendi christiane. Primo, nimis velox ortus florum, signum est defectus et carentiæ fructus, ac si arbor nimis cito et copiose florens, videtur contenta esse floribus suis, Plinio teste. Sic etiam communiter, qui nimis cito in pueritia vel juvenia sapiunt, postea desipiunt. Docent ergo mortales, non desiderare multas et præsertim properatas divitias ; quia timendum est, ne carere debeant in altero sæculo, quo fructus colliguntur. Homo præpotens opibus, quid nisi arbor est plena floribus? Miramur et illam et istum. En quam floret hæc arbor ! dicimus : en quantæ illius viri divitiæ ! At quid, si is hic recipiat mercedem suam, tempore pomilegii nihil fructus habiturus? Hinc audit dives epulo : *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, Lazarus autem mala*. De præproperis vero opibus audi Sapientem, Proverb. XIII. *Substantia festinata minuetur? Quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur* : quæ enim sensim ac minutatim colligitur, multo labore constat ; unde et studiosius servatur.

Secundo, qui flores captat, fructus amittit. Nam simul haberi flores et fructus nequeunt : si florem decerpis, fructum perdis. Flos est gloria humana, juxta id Isa. XL. *Omnis gloria ejus, quasi flos agri*. Qui florem hunc non carpunt, fructum in cælo accipient ; quin et florem gloriæ Deus illis hic adjiciet, uti I. Reg. II. dicitur : *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum : qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*. Pari modo qui hic dies sibi bonos eligit, flores tantum et inania gaudia captat ; quare ibi fructu honorum dierum et celestium gaudiorum carebit. Nonne satius est fructibus arborum perfrui, quam eorundem flores manibus versare, naribus applicare, aut super pileo gestare? Terrena bona quasi

flores sunt, quia præsagiunt nobis cælestia ; sicut enim Deus in hoc exilio tot naturæ dona confert servis suis, quin etiam reprobis, quid non dabit in cælo amicis suis?

Tertio, arbores quæ non florent, spem fructus non dant, nisi paucissime ; uti ficus, quæ non floret. Sic rarissimum est, ut quis frugifer et bonus sit in senectute, qui non fuit bonus in juventute. Florere prius juvenes debent, qui fructum in adulta ætate ferre volunt. Ubi flores bonæ institutionis præcesserint, ibi spes est vitæ bonæ et frugiferæ. Hinc Ecclesiasticus, c. VI. flores appellat *fructus*, quod hi consequi flores soleant : *Ego quasi vitis*, inquit ibi sapientia divina, *fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis*. Vitis, sicut ut arbores aliæ, prius flores gignit, quam fructus ; cur ergo flores computat Sapientia pro fructibus, nisi quia ex floribus dignoscuntur secuturi fructus? Cum ergo flores disciplinæ videris in juvenibus, tunc ab eis expectare potes fructus uberes virtutum ; si non videris, quid expectes? Neque tamen semper fructus ferunt arbores, quæ flores præmiserunt : pari modo non semper bonus est in senectate, qui bonus fuit in ætate tenera. Exemplo est Salomon ; qui bonus fuit in ætate tenera, depravatus in senectute ; ut ita nobis semper tempore incolatus nostri in timore versandum, semper attendendum sit.

III. Monstrant nobis exemplar perfectorum Christianorum, virtutibus florentium, juxta id Ecclesiastici XXXIX. *Florete flores quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam, etc.* Flos gaudium est arborum, ait Plinius, libr. XVI. cap. XXV. citat. Sic etiam boni et perfecti Christiani gaudium sunt Ecclesiæ. Unde apostolus ad Philipenses, cap. IV. scribit : *Fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea*. Jam igitur primo, flores arborum recreant aspectum suo colore, qui fere candidus est, aut ruber : gratiosus quidem, simplex tamen, non variegatus, fastuosus aut luxurians, qualis cernitur in stirpium floribus. Idem imitantur boni Christiani : vestitum gerunt honestum quidem ac purum, nequaquam vero superbum et varicolorem : norunt enim ornatum suum consistere in anima, non in corpore, et ornatum animæ esse contemptum ornatum corporis : ornatum corporis esse deformitatem animæ. Audiamus Sanctum Gregorium Nazianz. orat. in deplorat. calamitatis suæ : « Mihi (inquit) in somnis aliquando hujusmodi quiddam videre visus sum, ex quo facile in virginittatis amorem exarsi. Virgines duæ in propinquo stabant, candidis vestibus indutæ, ambæ formosæ atque ejusdem ætatis, ambæ incomptæ

atque inornatæ, ac proinde ornatæ. Ornatus enim contemptio mulieribus elegantiam decusque conciliat : non hyacintho collum earum decorabatur, non sericæ illis vestes, non tenui ac molli lino textæ erant, etc. »

Secundo, odore suo recreant odoratum. Sic perfecti Christiani, quales primi illi, de quibus apostolus, II. Cor. II. ait : *Christi bonus odor sumus in iis qui salvi sunt, et in iis qui pereunt*. Quantum afficiantur et ædificentur bona eorum vita etiam infideles ; patet vel in cardinale Bellarmino, de quo Judæus quidam, cui Romæ Bellarminus notus erat, hoc edixit : « Quoad mores et vitam ejus, ego ita quidem existimo : Christiani omnes sint Bellarmino similes, et e Judæis Romæ superfuert nemo ; adeo cuncti transgredieremur in morem eorum. » Idem dixit de eo quidam hæreticus. Refert Fulgatus, in vita Bellarm. I. II. c. VII. Subjicit auctor ibid. sententiam Sancti Chrysostomi dicentis : « Nemo profecto gentilis esset, si ipsi, ut oportet, Christiani esse curarem. Nemo, inquam, esset ita fera bellua, ut non statim ad cultum veræ religionis accederet, si videret hæc ab omnibus fieri. » Tanti est odor bonus vitæ.

Tertio, blandiuntur tactui sua lenitate. Sic Christiani boni sua mansuetudine omnes sibi devinciunt. Si enim canes sævi et leones cedunt humilitati et mansuetudini humanæ, et sedantur ; cur non cederent homines? Audi S. Chrysostomum, in cap. IV. ad Eph. XVI. « Canes hoc inter se facere videntur, ut quando in aliquem latrando irruerint, is vero supinum seipsum in terram projecit, nihilque contra fecerit, iram hoc pacto mox extinguunt. Itaque si illi placantur, et quasi pudore suffunduntur coram eo, qui quodvis ab ipsis pati paratus est, multo magis istud humanum genus majore ratione prædictum decet. »

Quarto, pascunt rore suo cælitus sibi infuso apes, imo et fucos atque muscas, quæ mel non conficiunt. Ita et Christiani boni pascunt suis frugibus a Deo sibi datis pauperes, non tantum bonos, sed etiam inutiles ac malos : præferendo tamen illos. Qua de re Chrysostomus, hom. XXI. in cap. XII. ad Rom. ait : « Ne scrutemur pauperum vitam atque negotia ; nam extremæ illud insolentiæ est, pro uno pane totam hominis miseri vitam curiose inquirere : » et mox : « Etiam si teipsum interempturus esset, nec si tamen fame laborantem contemnere debes : discipulus enim illius es, qui crucifigentium se salutem cupiebat. » Sic ille.

IV. Monstrant nobis prægustum cælestis beatitudinis. Arborum flos : *Est pleni veris indicium et anni renescentis*, ait Plinius, loco citato. Annus

Christianorum renascens est resurrectio mortuorum, quam etiam veri comparat Dominus, Matth. XXIV. quia ut in vere protrudunt arbores gemina ; ita in die resurrectionis terra protrudet ex se corpora humana ad immortalitatem.

Porro sicut in vere arbores : *Tunc se novus aliasque quam sunt, ostendunt*, ut ait ibi Plinius ; ita in resurrectione justi novos se ostendent, et alios quam nunc sunt, ad instar nimirum Christi transfigurati, cum : *Facta est species vultus ejus altera*, ut ait Lucas, capite IX. Quemadmodum enim Christus ante transfigurationem in forma servi apparuit, quoad speciem externam nihil singulare præ se ferens, sed per omnia similis pauperibus : at in transfiguratione aliam induit speciem, augustam, gloriosam, divinam, vestimenta nive candidiora, vultum sole splendidiorem : sic etiam justi, qui nunc a cæteris hominibus videntur nihil discrepare, in die resurrectionis aliam induent formam. Nunc quasi arbores in hieme sumus, ubi una ab altera vix discerni potest, quia humor gratiæ intus latet, et nondum apparuit quod erimus. Ver illud prodet singulos, quales in hoc sæculo sint.

Tunc : *Variis colorum picturis in certamen usque luxuriant*, addit ibid. Plinius. Alii enim sunt majores, alii minores : alii odorem dant, alii non dant : sic in vere illo venturi sæculi justi singulis ac diversis pro cujusque merito prodibunt coloribus, ut quasi inter se certare videantur ; dum singuli se cernent præmiatos ultra condignum, et in suo gradu quisque ita sibi gratulabitur, quasi ipse summus esset, et maxime spectabilis ; dum seipso alter esse non cupiet.

Tertio : « Sed hoc negatum plerisque, addit Plinius. Non enim omnes (arbores) florent, et sunt tristes quædam ; quæque non sentiant gaudia annorum. Nam neque ilex, picea, larix, pinus, ullo flore exhilarantur, natalesve pomorum recursus annuos versicolori nuntio promittunt. Nec fici atque caprici nec juniperi florent. Pari modo in vere illo beatorum, non omnes homines florebunt ; sed justi tantum, juxta id apostoli, I. Cor. XV. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*. Tunc gement arbores silvestres infructuosæ, reprobi videlicet, qui non fecerunt fructum bonum ; quia : *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur*.

Quarto, denique addendum, ver illud floridum fore non transitorium, quale experimur hic, sed æternum. Florent hic arbores septem diebus : ibi florebunt justi in perpetuas æternitates. Confirmavit hac s. virgo et martyr Dorothea, quæ in tormentis rogata per jocum a Theophilo scriba judiciali, ut mitteret sibi ex altero sæculo poma,

rosas, lilia et flores, de quibus ipsa dixerat se in paradiso suo iis gavisuram, promisit ei, et revera per angelum misit media in hieme, die sexta februarii. Qua ex re Theophilus illico conversus et Christum confessus, indeque martyrii palmam consecutus est, ut in vita S. Dorotheæ, apud Surium, 6. febr.

Ergo, auditores, quando in his floribus tam multa documenta cernimus, inspiciamus in hunc librum, non tam oculo quam animo, et quæ nobis exhibuit documenta, ex eo decerpamus velut apes sedulæ, indeque favum mellis conficere studemus, quo fruamur hic per Dei gratiam, et ibi per gloriam.

CONCIO IV.

IN TEMPLO OBSERVANDA.

I. Mansio charitatis. — II. Mansio humilitatis. — III. Mansio patientiæ. — IV. Mansio reverentiæ. — V. Mansio sanctitatis. — VI. Mansio silentii.

THEMA.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt.
Joan. XIV.

Duas nobis Christus indicavit Patris sui domos: unam in cælo beatorum habitaculum; alteram in terris, tabernaculum viatorum. De prima loquitur ad litteram in hodierno evangelio: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, de secunda Joan. II. *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*. Videntur mihi illæ designari in duabus Ecclesiis, Philippo et Jacob assignatis: Hierapoli, quæ Philippo; Jerosolyma, quæ Jacobo. Illa templum, hæc cælum designat: (Hierapolis enim sancta civitas: Jerosolyma visio pacis exponitur). De utra nos loquemur? Sane de cælesti illa ait apostolus: *Oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascendit*. Quid igitur nos dicemus? Manebimus ergo in terra, et de altera domo loquemur. Sunt enim ibi etiam multæ mansiones; et qui in ista domo manserit sicut debet, speret se venturum ad cælestem mansionem. Porro, quia multæ, ut dixi, sunt, non omnes indicabimus, sed aliquas. Neque faciam ego ullam distributionem, in qua sede hic vel alter debeat sedere: sed unusquisque sibi eligat, quam putat sibi commodam. Dicam tantum quid mansiones illæ a vobis requirant.

I. Est ibi mansio charitatis, quia templum ecclesia, id est, congregatio appellatur, quasi unum ovile, ubi omnes oves simul congregatæ sunt, nec quisquam sibi aliquid proprium reputat, sed om-

nia communia habent, uti primi Christiani. Repræsentat enim cælum, ubi cuncti ex æquo Deum videbimus, et sedebunt omnis generis homines commixtim pro cujusque merito: pauperes inter divites, rustici inter doctos, ignobiles inter nobiles: ac nescimus modo uter alterum præcessurus sit. Quare in primis patiatur nobilis in templo stare ac sedere juxta se ignobilem, nec a sede sua expellat; vel etiam ex hoc capite, ut inde nobilis velut juxta contrarium positus magis eluceat. Quæro enim cur aliquæ dominæ cum nitidam ament faciem, nigram ei affigunt maculam? Sane ut e nigro (si veritatem dicere velint) vicino magis candor eniteat. Ergo patiatur ignobilis juxta se ignobilem: inde ipse nobilior, hoc est, virtuosior apparebit.

Secundo, non detrectet ullus admittere adventantem socium, ne qui advenit, exclusus cum pudore recedere cogatur. Sponsam cum laudaret sponsus, Cantico. III. ait: *Quam pulchra es, amica mea! Quam pulchra es!* Sed unde? *Dentes tui sicut greges tonsarum*; ubi absque dubio Christianorum charitas in ecclesia commendatur. Dentes enim quo conjunctiores, eo fortiores ad molendum et firmiores sunt; ac licet varia officia ac formas habeant, alii magni, alii parvi, alii acuti, alii obtusi sint, mutuo tamen se adjuvant, nequaquam impediunt. Oves similiter quo in caula magis unitæ sunt, eo magis se fovent et calefaciunt invicem; quæ si, tonsæ præsertim, sejuncte in hieme forent, frigore perirent. Juncti ergo in templo cum patientia et charitate Christiani fortius orabunt, et se mutuo ad orationem incitabunt in eaque confortabunt.

II. Mansio humilitatis; quia est domus Dei, nimis magni et excelsi; respectu cujus nihil sumus, omnes quotquot sumus. Sane statuam Nabuchodonosoris, quæ ipsum repræsentabat, omnes satrapæ, præfecti, duces, tyranni per omnia ejus regna, prostrati adorare compulsi sunt, nullo discrimine, nec uni licitum erat stare, alteri sedere, quantuscumque esset, ut habetur Dan. III. quo indicaretur omnes regis subditos nihil esse ad ipsum regem comparatos. Ideo altissimam fecit eam statuam, sexaginta cubitorum, et proinde facies erat sex cubitorum, pedes duorum, pedes decem, etc. At vero si magnitudinem Dei consideremus, quid nos respectu illius? *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum*, ait Isa. cap. ult. Quid mirum igitur, si omnes pariter coram Deo, nos humillemus, qui respectu ipsius omnes nulli sumus? Omnes ejus mendici sumus. Hinc imperatores antiquitus templum ingressuri, arma humiliter deponebant: Theodosius senior extra choram

stabat: junior in Concilio Ephesino de se fatebatur: *Templum ingressuri, foris arma relinquimus, et ipsum etiam diadema regis majestatis insigne humiliter deponimus, et sacra altaria munerum tantum offerendorum causa accedimus, quibus quoque oblati ad extimum commoneque atrium nos recipimus, etc.* S. item Elisabetha regis filia, si templum intrasset, coronam capiti detrahebat; quod non deceret ibi caput auro radiare, ubi Deus spinis coronatus repræsentatur. Quinetiam Jerosolymæ, velut in civitate qua Christus spinis coronatus fuit, noluit Godefridus Bullionius rex Jerosol. electus coronam capiti regiam imponere.

III. Mansio patientiæ: quia est atrium domus Dei, Psal. XXVII. et quasi vestibulum cæli. Ante conclave principis solet esse mansio, quæ vulgo dicitur antecamera, ubi expectare audientiam, et patientiam habere oportet. Templum antecamera cæli est, ubi oportet, velut ante conclave Dei, expectare cum patientia usque ad finem missæ. Verum aliqui sunt, qui accusant frigus et æstum, imitantes Dionysium Siciliæ tyrannum, qui Jovis Olympii statuæ detraxit amiculum aureum, dicens in æstate nimis gravare, in hieme nil prodesse contra frigus, Ælian. lib. I. var. hist. cap. XX. Val. Max. lib. I. cap. II. sic enim multi furantur Deo cultum suum, dum in hieme præterdunt frigus, in æstate calorem: itaque vix unquam veniunt ad templum. Illi vellem cogitarent, quam: *Bonum sit præstolari cum silentio salutare Dei*, (Thr. III.) in templo, respectu inferni, ubi frustra expectatur liberatio. Hoc argumento retinuit suos in templo S. Hilarius episcopus Arelatensis, exeuntes post evangelium, sic objurgans: *Exite, exite, quia hoc vobis de gehenna facere non licebit*, apud Sur. 5. maii. Terribile hoc fulmen quem non retineat?

IV. Mansio reverentiæ, quia templum basilica aula regis est. Quare primo, requirit, ne ibi rideamus, quod in primis S. Chrysostomus, homil. XXV. in ep. ad Hebr. in templo vetat dicens: «In aulam quidem regiam intraturus, et habitu et oculis et incessu et in cunctis aliis componis et ornas temetipsum: huc autem ingressurus, ubi vere est aula regia, et talis qualis cælestis est, rides? Et quid? Malum est risus? inquis, non est malum risus, sed malum quando sit importuno tempore et immoderate.» Ecclesia locus est silentium, qualis erat apud Hebræos, Judic. II. a fletu eorum sic appellatus, quod ibi angelus Domini Hebræorum peccata acriter perstrinxerit; hoc ipsum enim fit in Ecclesia. In vita S. Herberti episcopi Colon. scribit Rupertus abbas Tuiensis episcopum Argentoratensem, cum in missa

ad *pax vobis* effuse risisset, in prandio mox, sequente pleuritide, id est, laterum dolore, unde risus scilicet prodiit, correptum et absortatum, decimo quarto die mortuum esse. Deinde, requirit, ne ibi dormiamus; quod doceri possumus vel a juvene illo Jacob, qui cum Mesopotamiam petens vidisset in somno scalam usque ad cælum protensam, eique Deum incumbentem, evigilans: *Vere*, inquit, *Dominus est loco isto, et ego nesciebam; pavensque: Quam terribilis est, inquit, locus iste!* Gen. XXVIII. quasi diceret: Si scivissem Dominum esse in loco isto, sane hic dormire nequaquam præsumpsissem. Atqui locus ille typus et umbra solum templorum nostrorum era, in quibus Deus peculiari modo, humana nimirum carne indutus habitat: majori ergo longe reverentia in nostris templis conversandum est.

V. Mansio sanctitatis, quia sanctuarium passim appellatur. Quare primo, requirit ut profanum nihil ibi agatur; sed præcise ea, quæ ad sanctitatem spectant. Nusquam legimus Christum Dominum manu sua aliquem castigasse, præter eos, quos in templo reperit, ementes et vendentes. Alias omnis generis passus est injurias, neque verbo ultus est: injuriam vero templo illatam propriam manu vindicavit; quod sane mirabile est, et miratur David, Psal. LXVII. dicens: *Mirabilis Deus in sanctuario suo*, (uti legit S. Hieronymus; ubi nos in sanctis suis). Mirabile enim est, quomodo mansuetissimus Dominus adeo excanduerit, ut sua manu reos plecteret, quod nulli reges facere solent, nisi forte quando summe offensi sunt. Sed nimirum causam indicavit Joannes, cap. II. quia scriptum esset: *Zelus domus tuæ comedit me*, quasi dicat: Christum a zelo absorptum, immutasse naturam suam et quasi in zelum transisset, faciemque non tam salvatoris, sed judicis ostendisse: *igneum enim quoddam (quod zelus comedens indicat) atque sidereum radiabat ex oculis ejus, et divinitatis majestas lucebat in facie*, ait S. Hieronymus, in cap. XXI. Matth. zeolotypiæ enim vis tanta est, ut propria vir manu adulteros interimat, qui aliena punit servos.

Secundo, ut omnis immunditia longissime absit. Audiatur Sanctus Chrysostomus, supra citata hom. «Nullus opera mortua habens, ingrediatur huc (in templum). Si enim eum, qui corpus mortuum tangebatur, non oportebat (Levit. XI.) intrare in templum; quanto magis eum, qui opera mortua habet? Pollutio quippe est pessima.» Elsi Moysi vetuit Deus accedere ad visendum rubrum, eo quod locus ille ex præsentia Dei sanctus esset, donec calceos exuisset (Exod. III.); quanto magis exuendæ omnes immunditiæ in loco multo sanctiori, quod est templum Dei? Refert Sanctus